Quaestio Medica Quodlibetariis disputationibus exagitanda die Iovis 13a mensis Ianuarii, D. Stephano Fortin, Doctore Medico Moderatore prudentiss.

An Spiritus facultatum Instrumenta?

Natura sapiens magis, quam ars, iusta et provida, animantium opifex corpus humanum ex quatuor elementis, (quorum substantiae totae per totas transfusae, non alterantur tantum, sed transmutantur) deinde ex similaribus partibus, in quibus neque pili, neque ungues numerantur: postremo ex dissimilaribus et organicis conformavit, singulas partes (quarum nullam neque supervacaneam, neque mancam fecit) facultatibus instrumentisque exornavit, ut proprias functiones sine ulla disciplina perficiant. Quarum principium cum sit anima, simplex et unica, corporis cuiusque prima perfectio, in hominis fortissimo actu stabilita, prima ad omnes actiones instrumenta spiritus habet, vinculum corporis et animi connexissimum.

Spiritus omnium, quae sunt in corpore, levissimi, insitarum facultatum, e purissima et praestantissima sanguinis portione elaborati, caloris insiti (quem divinum haud temere dixeris) fundamentum atque sedes existunt, pro triplici facultatum genere triplices quoque: horum tribus in diversis partibus elaboratio, non concoctio, qua crassiores et calidiores efficiuntur: id quod subest perfectio est a calore naturali proprioque manans ex contrariis qualitatibus, quae patiendi vim habent. Harum si humidum immodice siccum exsuperet, calore externo admisto nativumque vincente, putredo sequitur simplici ortui contrarium, maxime communis.

Naturalis facultatis, quae in iecore sedem habet, munera sunt procreare similes, corpus alere, et augere. Hinc tres eius partes emergunt: quanquam vis alendi augendique non differunt, et utraque alimenti affluxu, non tamen semper utriusque auctrix opus suum explet. Vis quidem gignendi in foetu omnibus partibus absoluto non perit, ut neque vis augendi in omnibus partibus usque ad vigorem aetatis expoliendo corpore, aut solida parte potius. Vis autem alendi, quae prima est omnium et maxime communis, nunquam cessat subservientibus aliis viribus attrahentis, continentis, coquentis, et expellentis. Quibus non sunt diversae quae ultimum alimentum apponunt et agglutinant, et assimilant: ut neque aliae, quae alimentum distribuunt et excernunt. Ac licet omnibus partibus (quas et contrariis et similibus nutriri verum est) ut magneti ferrum viribus insit attrahendi, familiare alimentum, ea tamen haud secus atque aliae facultates sese non prodit absque spiritus naturalis ministerio.

Vitalis superiore praestantior, in corde omnium corporis partium praestantissima sedem habens, ceu quodam caloris insiti fonte per arterias, (in quibus sanguis continetur omnium humorum calidissimus) vitam toti corpori impertit, neque citra spiritus vitalis opem, quem iisdem in arteriis genitum, materia generationis ex inspiratione et humorum exhalatione sumpta, animali virtuti materiam et pabulum suggerit, ex qua demum spiritus procreatur animalis.

Omnium autem facultatum princeps et regina animalis, e cerebro, adipe frigidiore et sicciore, per nervos (quorum optici cavitate tantum donati sunt) in omnia membra corporis sensum et motum transmittit, quorum vires perire potest, a cerebro manante [?] integro. Eadem simulacra rerum a sensibus suscepta apprehendit et discernit vi imaginandi: conservat et retinet memoria: discernit, componit ac dividit vi ratiocinandi. Quarum functiones et si vel ipsa et subiecto conveniunt, tamen aliae sine aliis laeduntur, et interdum simul pereunt. Ad ea autem munera obeunda, quem usum conferant spiritus, declarant lethargus, apoplexia, aliique capitis affectus, in quibus exitu naturalis, vitalis et animalis spiritus prohibetur.

Ergo Spiritus facultatum Instrumenta.

Ponebat Guillelmus Fagotin Calvimontanus. 1569.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Guillelmus de Boissy. M. Bartholomeus Passart. M. Ioannes Faber.

M. Michael Marescot. M. Philibertus Landenot. M. Gulielmus Cappel.

M. Ioannes Rochon. M. Iacobus Charpentier Decanus et Profess. Regius. M. Petrus Tontot.